DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

VVLNERVM RENVNCIATIONE

QVAM
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
IN INCLYTA ACADEMIA JVLIA
PRÆSIDE
PETRO GERIKE
MEDICINÆ DOCTORE ET PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO
A. O. R. cIↄIↄCCXXXI. D. JVNII
IN JVLEO MAJORI
PRO DOCTORIS GRADV
OBTINENDO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

DETLEV GEORG HVMMEL
CREMPA HOLSATVS.

HELMSTADII
LITERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VULNERUM RENUNCIATIONE.

PROOEMIUM.

OLim vulnerum inſpectio in uſu fuit; quotiescunque alterius culpa percuſſus vitam finierat, & res dubii aliquid habere videbatur. Veriſimile fit, Adamum Abelis, & poſt ea tempora eos, quibus de vita aliorum ſtatuendi poteſtas fuit, in tali caſu, vulneris inſpectionem minime neglexiſſe. Negotium non difficillimum foret, accurata demonſtratione hoc asſertum meum evincere; unica hac propoſitione, quam jure poſtulo, & quam mihi conceſſuros omnes puto, admiſſa, homines ſcilicet, a prima ſua origine, in ferendis judiciis, certe ſuper rebus gravibus, judicium, aliquod ſaltim, adhibuiſſe. Renunciatum vero eſt de vulnerum lethalitate primis temporibus pro ſcientiæ, quæ tum florebat, modo, hoc eſt, paulo minus ſcite, quam ſtatutum de indiciis, ex qui-

bus pro tribunali ſedentes, ariolabantur, utrum delatus factum perpetraſſet, nec ne. Inſecutis etiam temporibus vulnerum renunciationes ſine dubio apud varias gentes factæ ſunt varia peritia, pro captu nempe cujusvis. Docent nos monumenta Hippocratis & Celſi, jam olim apud Græcos & Quiritium populum, de vulnerum lethalitate ſollicite, quanquam ob alias potiſſimum cauſas, fuiſſe diſputatum. In Germania noſtra, & apud conterminas nobis gentes, ut bonæ artes ſerius coli cœperunt, ita hæc quoque doctrina, ante pauca adhuc ſecula, parum cultus oſtendit. Erat ea ſparta balneatorum, barbitonſorum &, quales ea tempora largiebantur, chirurgorum. Nimirum ut hos homines, vel etiam opiliones, aut ſi quid magis terribiliter ſonat nomen, in morbis advocant, qui medicum comparare vel nequeunt, vel nolunt; ita quoque illorum judiciis in foro ſtandum tunc iis erat, quibus medicus vel non contingebat, vel rarior majori opera rogandus erat. Intellexerunt tamen poſtea juris periti, priorum ſententiis non ſemper recte ſtare, vel cadere percusſorem; majoremque ſibi proinde cautionem in accerſendis luminibus adhibendam eſſe. Quare ab illo tempore, quo medicorum collegia conſtituta in Germania & alibi ſunt; horum examini relationes chirurgorum, vel aliorum ſummittere, iis conveniens viſum fuit; & mox ſinguli etiam rogari cœperunt, ut inſpectioni cadaveris intereſſe, vel præeſſe, relationemque conſcribere vellent. Magna exinde diligentia hæc doctrina coli cœpit; quod varii, poſt Fortunatum Fidelem *&* Paulum Zacchiam *editi de hac re libelli teſtantur. Promoverunt utilitatem publicam obſervationes, quas illi & plures alii, ad vulnerum dijudicationem pertinentes, congeſſerunt. Laudem*

quo-

quoque inprimis merentur, qui recentiore ætate aliis inventis, anatomicis præſertim, hanc rem magis adhuc illuſtrarunt & perfecerunt. Hæſitarunt tamen plurimi, hæſitantque etiamnum ſæpe multi, in conſtituendo quæſtionum ſtatu, & iis recte determinandis, quæ ad vulneris lethalitatem concurrunt. In viam errantes ſæpius deduxit Celeb. BOHNIVS ; *cujus libellus de hac materia eximiam doctrinam, & multum ſalis recondit. Etſi autem ei præcipuam quondam in hac re laudem tribuendam putem: deprehendi tamen, quæ in genere de vulnerum lethalitate prioribus capititibus expoſita ſunt, ordine minus accurato, nec ita cohærere, ut conſenſus veritatum animo facile obverſetur, & huic illæ firmiter hærere queant; in aliquibus etiam rem curatius deduci & enunciari posſe. Periculum itaque feci, an iis aliqua ratione mederi poſſem; eo quidem potiſſimum conſilio, ut ipſe haberem, ad quæ in obviis caſibus animum ſemper attenderem. Cum vero nunc, laboribus meis academicis abſolutis, ſpecimen aliquod publicum edendum ſit; occaſione hac uti non incongruens exiſtimavi, digeſta in eum finem circa hanc rem examini eruditorum ſiſtere: ut, ſi vias non ſemper optimas forte ingreſſus ſum, tempeſtive de iis admonerer, in quibus majorem cautionem adhibere deceat. Intelligit autem quisque, abſonum inſtitutum eſſe, ea in opere ſuo, quæ ab aliis recte conſtituta & oſtenſa ſunt, rejicere velle, & incompletam potius tractationem lectori offerre, quam nova omnia, aut contraria, aut certe alia, quam quæ ab aliis dicta ſunt, non afferre. Placet mihi veritas, ſeu proprio marte, ſeu ab aliis detecta, dummodo mihi viſa. Quam proinde, Deo adjuvante, hic ſiſtere, pro viribus meis allaborabo.*

CAP. I.

DE RENVNCIATIONE ET LETHALITATE VVLNERVM IN GENERE.

§. I.

R*Enunciatio vulnerum* eſt judicium de horum eventu. *Inſpectio vulnerum* dicitur expoſitio eorum, quæ in vulnerati corpore, examine facto, deprehenſa fuere, ad vulnus, & renunciationem recte formandam, pertinentia; vel ipſum horum examen. *Relatio* vero *vulnerum* eſt expoſitio circumſtantiarum omnium, ad vulnus, & renunciationem recte formandam, pertinentium. Vulgo, ſed perperam, termini hi omnes pro ſynonimis habentur.

§. II. *Vulnus ſeu percuſſio*, hic dicitur læſio humani corporis quæcunque notabilis, facta a corpore quodam, illi exterius applicato.

§. III. Quæſtiones de vulnerum eventu moveri queunt, & Medicis frequenter proponuntur a Juris peritis, vel aliis, ac illi renunciant, vulnerato vel adhuc ſuperſtite, vel jam mortuo.

§. IV. Non eodem modo in utrolibet caſu fieri renunciatio debet. In priori enim caſu, de prognoſi formanda agitur; in poſteriori vero de cauſis mortis eruendis, & in ſpecie quæritur, an? & quid vulnus inflictum ad mortem contulerit?

§. V. Percuſſo ergo ſuperſtite quæritur, vel 1), an vulnus illatum cum vitæ periculo conjunctum ſit,

an minus? vel 2) an, & cui functioni necessariæ præjudicium notabile illud afferat? vel denique, 3) an sanabile sit, an minus?

§. VI. Quæstio 1.ma interdum fit a magistratu; ut eo sollicitius custodiatur vulnerans, aut saltim interea cautionem præstet; vel, si vulnus nihil periculi habet; is incustoditus, ac sine cautione etiam agat: interdum ab ipso vulnerante, hujusve amicis, proponitur, ut in vulneratum, vel medentem vulneri, vel aliorsum, transferre culpam queant; si evenerit, ut post vulnus, minus periculosum pronunciatum, decedat vulneratus.

§. VII. Quæstio 2.da instituitur, si vulneratus actiones quasdam, quibus sibi vitæ alimenta quærit, & eatenus supra §. V. necessarias dictas, obire, post acceptum vulnus, amplius nequit.

§. VIII. Quæstio 3.tia fit, si Chirurgus vulnerati quidem vitam conservavit, non tamen adhibuisse debitam operam creditur, ut omnia in integrum statum restituerentur; interdum ob memoratam §. 7. rationem.

§. IX. Hinc vulnus distinguitur 1) in periculosum, & minus periculosum, 2) in sanabile, & insanabile.

§. X. *Periculosum* dicitur vulnus, quod, nisi matura, vel magna adhibita cura, vulneratum e medio tollere valet; vel etiam, ex quo, omni quamvis diligentia adhibita, mors tamen metuenda est.

§. XI. *Minus periculosum* est, quod vel nulla, vel

levi,

levi, vel tamen mediocri adhibita diligentia, ſic curari poteſt, ut vulneratus diu vitam ſuperſtitem agat.

§. XII. *Sanabile* vocatur, quod, cum effectibus ſuis, natura, vel arte, in integrum, aut ſaltim proximum integritati ſtatum reſtitui poteſt.

§. XIII. *Inſanabile* vero, quod neutrius ope reſtitui cum effectibus ſuis poteſt; etſi vulneratus inde non neceſſario moriatur.

§. XIV. Rarius autem illæ quæſtiones §. V. quæ vulnerato adhuc ſuperſtite moveri queunt, forenſes fiunt, ſeu a judice ad medicos ablegantur, & hinc proprie non hujus loci ſunt. Agitur hic de vulneribus mortuorum dijudicandis, & renunciatio vulnerum, ſenſu magis uſitato, ſignificat judicium de eorum eventu jam facto.

§. XV. Vulnerato ergo mortuo quæritur, an ei ex vulnere neceſſario moriendum fuerit? an vero is ſua, medentis, vel alia culpa, ad vulnus non neceſſario pertinente, interierit? breviter, an vulnus lethale ſit, an non?

§. XVI. *Lethale* enim vulnus dicitur, quod mortem neceſſario poſt ſe traxit; ita, ut nec naturæ, nec artis auxiliis, extra caſum extraordinarium, illa averti potuerit; ſeu alia cauſa, mortem feſtinans, acceſſerit, ſeu minus.

§. XVII. *Minus* vero *lethale* eſt, quod mortis cauſa neceſſaria non fuit; ſeu cui medela adhiberi ſic potuit, ut vulneratus in vita diu conſervaretur.

§. XVIII. Patet ergo, vulnus omne lethale eſſe quoque inſanabile; non tamen contra rem ſe habere.

§. XIX.

§. XIX. Quæftio de vulneris lethalitate, vulnerato adhuc fuperftite, intempeftiva foret; & renunciatio, illam affirmans, vel negans, tantum non femper temeraria. Vt enim de lethalitate certum, quale in re capitali fine dubio requiritur, formari judicium queat, præfertim interiorum omnium, aut faltim multorum, inveftigatio neceffaria eft; qualis in vivo fieri nequit. Hinc fæpe fit, ut vulnera, quæ parum habere periculi exterius videntur, mortem nihilo fecius inferant; alia vero, periculofiffima vifa, fubinde curentur.

§. XX. Quare etiam illa renunciatio in judiciis vix attenditur, nifi fectione poft infecutam mortem rite peracta, & reliquis, fuo loco memorandis, obfervatis, eadem fuerit confirmata.

§. XXI. Interdum tamen, fi non multo poft acceptum vulnus, præfertim gravius antea judicatum, percuffus fato fungitur, infpectione licet omiffa, pœnam ordinariam locum habere, nonnulli dictitant. Sed ad Medicum nil pertinet, quale JCti renunciationi illi pretium ftatuere velint. Ipfe tamen ut circumfpecte agat, neque judicem transvorfum rapiat, providere debet, quid ftatuendum putet tunc lethalitate, fcilicet nihil.

§. XXII. Probe autem notandum eft, quotiescunque cafus aliquis, vulneris concernens lethalitatem, proponitur Medicis, horumque fententia de illo exquiritur, quæri, aut certe quærendum effe, de vulnere individuali, h. e. fingulari modo determinato: cui proinde quæftioni refponfionem generalem de le-

thalitate vulnerum, parti cuidam corporis illatorum, applicare non convenit.

§. XXIII. Sicuti vero omnes in eo consentiunt, lethalitatem vulneris individualis, de quo quæstio est, minime ex eventu, quem illud habuit, infelici dijudicandum esse; & absonum foret, quærere, si eventus litem dirimere posset: ita adhuc magis incongruum est, lethalitatem ex eventu vario aliorum, etsi quodammodo similium vulnerum, quem scilicet hæc in aliis personis habuerunt, æstimare velle.

§. XXIV. Quare distinctio vulneris in absolute & frequentius lethale inepte applicatur vulneri, singulari ratione determinato, h. e. individuali, & rabulis, medicis æque, ac jurisperitis ansam, inutiles contentiones movendi, præbet.

§. XXV. Dicunt autem vulnus *absolute lethale* quod omnem medelam respuit, & semper brevi interimit; utplurimum, seu *frequentius lethale*, cujus curatio ut plurimum frustra sit, non tamen semper; aut quod tardius demum necat.

§. XXVI. Certe curatio unius ejusdemque vulneris, non nisi semel frustra fieri potest. Dantur vero etiam vulnera vere lethalia, etsi satis tarde interimant: contra alia brevi interdum mors sequitur, hocque non obstante, pro minime lethalibus declaranda sunt.

§. XXVII. Habent equidem observationes vulnerum absolute & frequentius lethalium usum aliquem in doctrina generaliori, ubi de lethalitate vulnerum, his illisve partibus inflictorum, & quoad

plu-

plures reliquarum circumſtantiarum, ſimilium disquiſitio inſtituitur, & in qua proinde diſtinctio illa admitti poteſt: ſed vulnus individuale, & quoad omnes circumſtantias ſingulari modo determinatum, plus minusve frequenter lethale dicere, ſine dubio abſonum eſt. Debent vero etiam renunciationes vulnerum firmiori fundamento niti, quam quale iſtæ obſervationes ſolæ præbent. Sed de hac re capite ſequenti diſpiciam.

§. XXVIII. Eſt autem ea diſtinctio (§. XXV.) eo minoris uſus in renunciationibus, quia ordinaria homicidii pœna afficiuntur, & qui vulnus utplurimum, & qui abſolute lethale aliis intulerunt.

§. XXIX. Hinc in ſpeciali caſu ſimpliciter ſemper reſpondendum eſt, vulnus utrum lethale ſit, an minus? Tertium enim hic non datur, niſi illud: non liquet.

§. XXX. Neque omnino ſollicitum habere Medicum ea cura debet, an, ſi vulneratus diu poſt acceptum vulnus, ex hoc tamen unice moritur, mors percutienti imputari, vel potius huic pœna ordinaria jure infligi queat. Relinquenda ea eſt JCtis. Medico ſufficit reſpondere ac demonſtrare, utrum vulnus vera mortis cauſa, an alia exſtiterit.

§. XXXI. Denique minus etiam commode adhibetur denominatio vulnerum *per ſe lethalium:* ſive ſub illa comprehendantur vulnera abſolute & utplurimum lethalia; ſive eadem pro ſynonimo abſolute lethalium vulnerum habeatur. In priori ſignificatione vero vulnera per ſe lethalia dici ſolent, quæ, ſine alterius cauſæ interventu, vulneratum interimunt. Plurima,

ma, certe paulo graviora vulnera, ſic per ſe forent lethalia, h. e. ſine alterius cauſæ interventu occiderent, niſi ars periculo obviam iret, dumque medelam illa admittunt, lethalia dici nequeunt.

§. XXXII. Aptius fortaſſis lethalia vulnera diſtingui poſſint, præſertim in ipſis renunciationibus, in *abſolute lethalia*, quibus ſc. nulla arte ita ſuccuri potuit, quin vulneratus ex illis periret; & *reſpective* lethalia, quibus ſub certis conditionibus, quæ tamen nec in medentis, nec in vulnerati poteſtate fuerunt, auxilium ferri potuiſſet.

§. XXXIII. Puto, ea diſtinctione occurri poſſe cavillationibus multis juris peritorum, ridentium medicas renunciationes, quoties in his vulnus, quod vera mortis cauſa in percuſſo exſtitit, pro minus lethali, ob eam unice rationem declaratur, quia ſi hæc vel illa auxilia, quæ tamen omnia fors denegavit, adhibita fuiſſent, percuſſus evadere fortaſſis potuiſſet. Expedita in his negotiis ratio eſt, ſi Medicus tale vulnus pro vere, ſed tamen reſpective lethali declarat, adjectis auxiliis, ſeu conditionibus illis; dummodo non minus longe illa advocanda, aut rariora ſint, quæ morti averruncandæ idonea fuiſſent: ut, iis recte penſitatis, Judex ipſe æſtimare queat, quid eadem valeant, ad mitiorem percutienti pœnam decernendam.

§. XXXIV. Vulnera non lethalia, poſt quæ accepta vulnerati moriuntur, culpa ſua, vel medentium, vel alia quacunque avertenda, dicuntur vulgo *lethalia per accidens*. Quod ſi hæc definiantur, ut a multis fit, per ea, ex quibus, ut talibus, nullus vulneratorum

rum perit, ſed hi modo convaleſcunt, modo moriuntur, pro medentium induſtria, & læſorum regimine: definitio ea vulneri individuali applicari nequit, per dicta (§. XXII. & XXIII.) Admitti tamen eadem itidem in doctrina hac generaliori de vulnerum lethalitate poteſt.

CAP. II.
DE FVNDAMENTIS ET PRINCIPIIS RENVNCIATIONVM.

§. XXXV. Renunciationes vulnerum non temere fieri, ſed certis fundamentis & principiis niti debent. Agitur enim in iis de ſanguine humano, adeoque re graviſſimi momenti. Quare ſollicite omnia circumſpicienda ſunt; ne ſanguis ad mortem vere vulnerati inultus maneat, nec percuſſor, qui mortis adæquatam cauſam non præbuit, ſuum inſons perfundat.

§. XXXVI. Sunt quidem è ICtis non pauci, qui in vulnerum lethalitate dijudicanda, conjecturas ſequi ſatis habent, & his nixi ſententiam pronunciant; quod alii tunc ſaltim faciunt, quando probationes graviores deficiunt. Quam autem incertæ plerumque tales conjecturæ ſint, facile doceri poteſt.

§. XXXVII. Scilicet conjecturam illi 1.mam faciunt ex mortis ſubſecutæ tempore, ita ut lethale vulnus pronuncient, ſi vulneratus intra 2 vel 3 dies occubuit. Alii autem fatalem hanc periodum ad 8.9.10. vel 13. diem; quidam ad integros menſes extendunt. Alii vero annuo ſpatio, & alii longiori adhuc eandem definiunt; cum eo tamen, ſi per omne ejusmodi tem-

poris intervallum, ſymptomata perduraverint, aut pejora ſemper facta fuerint.

§. XXXVIII. Sed ut diverſitatem harum conjecturarum nunc non arguam, aut quomodo vel ex illa ſola pateat, quam ex arbitrio omnes factæ ſint; fallunt certe eædem ſæpe inſigniter. Accidit enim interdum α), ut percuſſus ex vitio alio, olim in corpore ejus hærente, neque ullo modo cum vulnere connexo, ſubito concidat, aut ſaltim intra intervalla (XXXVII.) definita; & hinc poſt vulnus minime lethale. β) Interdum vulnus quidem vera cauſa mortis exiſtit, ſeu in ſe & ſibi relictum, lethale eſt; cui tamen mediocris & parabilis opera mederi potuiſſet. Durum autem foret, ſi percuſſor ejus neglectum capite luere deberet. γ) Non raro autem contingit, ut poſt longum demum intervallum, ex vulnere tamen re vera lethali, percuſſus moriatur.

§. XXXIX. Quare etiam rectius alii judicant, nil referre vulneris lethalitati, quam longo intervallo poſt acceptum vulnus quis pereat; dummodo ſatis conſtet, ex vulnere ipſo mortem inſecutam eſſe. An autem, ſi longius interea tempus proceſſerit, percutiens nihilo ſecius pœnam ordinariam ſuſtinere debeat; de ea re, uti ſupra jam monui (§. XXX.), Medicus JCtis ex ipſorum principiis, ſtatuendum permittat.

§. XL. Conjecturam 2.dam faciunt ex *ſymtomatibus*, ut α) quo plura, & vehementiora vulneri ſtatim ſuperveniunt, & perſeverant ſymptomata; quo deteriorem illa vulnerati conditionem in dies reddunt; & quæ tandem eum interimunt: eo magis lethale credatur

tur

tur vulnus. β) Contra ſi nulla adſunt, ſi pauca, ſi mitiora, ſi illa brevi evaneſcunt, ſi præcipue vulneratus poſt manifeſtam reconvaleſcentiam, eamque diuturniorem, tandem moritur, vulnus etiam paulo gravius non lethale ſtatuitur.

§. XLI. Sed ſubinde & hæc conjectura fallit. Quod enim priorem partem ejus (§. XL. α) attinet, non dicam nunc, quod tamen verum deprehenditur, ſupervenire vulneri ſtatim poſſe multa & vehementiora ſymtomata, duratura ad mortem usque, non ex vulnere, ſed ex aliis cauſis e. g. vitio quodam corporis prægreſſo, & ira exaſperato, aliaque cauſa, cum vulnere nil commercii habente: ſed hoc tantum monebo, poſſe vulnus ipſum ſtatim graviſſima, & in mortis veras cauſas evaſura, ciere, e. g. in læſionibus capitis, ſic tamen, ut vulnus nihilo minus per accidens tantum lethale dici mereatur, ob neglectum ſcilicet auxilium; ſi illo quidem ſymptomata tolli potuiſſe conſtat.

§. XLII. Quod alteram partem (§. XL. β) attinet, in gravioribus interdum vulneribus, vel nulla ab initio, vel pauca, vel mitiora adſunt ſymtomata, vel quæcunque graviora inducias faciunt breviores, longioresve, & nihilo ſecius vulnus lethale pronunciandum ſæpe eſt, vel ob has ipſas modo allegatas circumſtantias inprimis. Nam, ſi præſertim externa quoque vulneris illati veſtigia nulla deprehendantur, medentes de periculo, & de cauſis intus latentibus, ruinamque corpori præparantibus, non ſatis, interdum vero tunc demum admonentur, quando opportunitas feren-

ferendi auxilii præteriit. Quod itidem frequenter in capitis vulneribus accidit.

§. XLIII. Conjecturam 3.tiam faciunt ex partis læſæ conditione, ut lethalia vulnera dicant, ſi quis ex percuſſo nobili aliquo viſcere, vel parte majori, e.g. capite, moriatur. Fallax tamen id judicium eſt; ſiquidem nullum viſcus eſt, cujus vulnera, &, ſi cor excipias, etiam notabiliora, interdum non ſanata fuiſſe, obſervationes doceant. Capitis vero vulnera etiam graviora frequenter curantur. Vt taceam, an hac illudve viſcus vulneratum ſit, raro ſine ſectione conſtare.

§. XLIV. Conjectura 4.ta fit ex magnitudine vulneris. Sed interimunt interdum vulnera exigua, imo ſæpe ob hoc ipſum, quia exigua ſunt; contra vero admodum notabilia, etiam ipſius cerebri vulnera, ægrum diu ſuperſtitem interdum eſſe ſinunt.

§. XLV. Conjectura 5.ta deſumitur ab inſtrumenti lædentis conditione, pondere præcipue, & figura. Sed ea quoque vana eſt; ſiquidem a) gravitas & periculum vulneris non modo ab inſtrumento, ſed præcipue a ratione, qua illud dirigitur, & vi, quam percutiens adhibet, dependet. Hinc leve inſtrumentum, & præterea obtuſum, lethale interdum vulnus infert; interdum gravius, imo inſuper acutum, vulnus minus periculoſum facit. b) partes interius in corpore inſtrumento læſæ ex conditione hujus non intelliguntur, ad quas tamen præcipue attendendum eſt.

§. XLVI. Vt ergo certiora judicia de vulnerum lethalitate feramus, ſolida ante omnia circumſpi-

ſpicienda ſunt fundamenta, quibus illa nitantur. Præcipuum vero fundamentum præbet 1) *vulneris inſpectio*, facta diſſecto cadavere. Sic enim accurate luſtrare partem læſam, perſpicere vulneris conditionem, & mutationes omnes, inde, vel ex aliis cauſis, in corpore factas, eaque omnia annotare licet, quibus certa renunciatio ſuperſtrui queat.

§. XLVII. Quare etiam leges illam omnino fieri jubent; neque niſi ea facta, homicidii ordinaria pœna afficiendum percuſſorem, plurimi JCtorum ſtatuunt.

§. XLVIII. Neque vero exiſtimandum eſt, aut horum, aut Medicorum curam in his negotiis tam ſcrupuloſam, vel potius inanem eſſe, ut, ſi percuſſus ſtatim poſt vulnus acceptum concidat, hocque mortis unicam cauſam extitiſſe lippi videre queant, e. g. ſi cui caput amputatum eſſet, inſpectionem nihilo ſecius adhibendam putent.

§. XLIX. Ceterum vero ſola inſpectio non ſufficit; ſed alterum quoque fundamentum accedat neceſſe eſt, 2) *recenſio* omnium notabilium *circumſtantiarum* vulneri, aut vulnerato connexarum, ſi quid nimirum præternaturalis, aut contranaturalis in corpore deprehenditur; morborum prægreſſorum; ætatis; ſymtomatum; regiminis, quod æger poſt acceptum vulnus tenuit; diligentiæ ac peritiæ Chirurgi; interdum etiam conſtitutionis aëris, quæ vel eo tempore fuit, vel conſtans & propria illi loco eſt, in quo percuſſus vulnus accepit & obiit; ac denique inſtrumenti, quo læſio facta eſt.

§. L. Agitur enim in vulnerum renunciationibus de eruendis mortis caussis, & in specie quæritur, an, & quid ad hanc vulnus inflictum contulerit? (§. IV.) Anatomico-practicum ergo problema proponitur, quotiescunque casus obvenit, lethalitatem vulneris concernens. Hinc procedendum, quemadmodum in aliis practicis problematibus procedere solemus, si e. g. quæritur, quæ mortis caussa in Titio, fato naturaliter defuncto, fuerit? an colica, qua vexatus fuisse dicitur? an alia caussa, in corpore adhuc latens? an vero sua, vel medentis culpa, perierit? imo an morbus colica fuerit? Nulla in tali disceptatione, si serio ea urgetur, & accurata esse debet, circumstantia, ad morbum, vel ægrum pertinens, negligitur, quæ quidem alicujus momenti sit; est autem sæpe minima; interioraque omnia accurate perlustrantur, antequam judicio ferendo nos accingamus.

§. LI. Fundamenta indigitavi, quibus judicium de vulnerum lethalitate superstruendum est. Jam quæritur, unde decidendi rationes desumendæ sint? Inspectione vulneris sane illæ non patent, nec quid statuendum sit, statim apparet. Transitus enim a vulneris & reliquarum partium, forte immutatarum, conditione, ad mortem, oculis non cernitur; qui, si conspiciendam sese præberet, minus frequens ad peritiorum judicia provocatio foret. Nec quid ex circumstantiis (§. XLIX.) indicatis quælibet, quæve præcipuum ad mortem contulerint, harum auditio statim suggerit. Quare alia circumspicienda auxilia sunt, quibus fulti idoneum de eventu vulnerum ferre judicium queamus.

LII.

§. LII. Satis autem infida illa præberent observati ambigui eventus vulnerum similium; si ex iis quidem solis, vel potissimum, formare conclusiones velimus. Vtilitatem talium observationum in hac doctrina de vulnerum lethalitate minime nego. Exemplorum locum tuentur. Sed, uti alias exempla illustrant, raro probant: ita illæ quoque lucis aliquid huic doctrinæ, præcipue vero discentibus, præbere queunt, decidendi rationes solæ non suppeditant. Solas non præbere dico. Præbent enim aliquando quasdam omnino, vel saltim rationum loco valere queunt.

§. LIII. Vulgo tamen hac in re erratur, errore ex reliqua praxi medica, ubi argumentatio a casu simili ad similem, frequentissima est, & sæpe sola obtinet, in hanc doctrinam de vulnerum lethalitate derivato; deditque is locum distinctioni inter vulnera absolute, & ut plurimum lethalia; vel potius malæ hujus distinctionis applicationi, ad vulnera individualia (§. XXII.-XXVI.); & hæc ipsa infinitis contentionibus.

§. LIV. Facile autem licet ostendere, quam temere ex illis observationibus solis renunciationes vulnerum formentur. Nam 1) rarissime, imo forte nunquam, duo vulnera, duobus personis inflicta, quoad omnes circumstantias, exacte inter se conveniunt. Notum autem est, minimam harum sæpe rem variare. Sic si pars præcipue vulnerata eadem, an eadem hujus partis regio vulnerata? an læsionis ratio eadem? an reliquæ partes simul læsæ eædem? an corporis constitutio naturalis, præternaturalis, contra-

 tura-

naturalis eadem ? an regimen ab utroque vulnerato idem obſervatum ? an utrique medentium ſcientia, diligentia, æqua lis ? an cetera omnia paria ? 2) Si vero de duobus vulneribus quæſtio eſt, poſt quæ accepta uterque, vel alter vulneratorum convaluit, alter occubuit: impoſſibile plerumque eſt, ſcire, an ea ſibi valde ſimilia fuerint. Quomodo enim in convaleſcentibus ſcrutari quis omnia poteſt ? 3) Si ergo bina vulnera, quoad omnes circumſtantias rariſſime conveniunt; plura vulnera tanto minus exacte convenient. Quare cum temerarium ſit, ex uno alterove caſu ſimili conclusionem de lethalitate vulnerum in genere, aut præſentis in ſpecie, formare velle: facile apparet, ob diverſitatem vulnerum, quæ ſimilia videntur, plurium, (n. 3), ex obſervationibus ſolis haud certum judicium ferri hac de re poſſe.

§. LV. Quod ſi etiam vulnera, quæ inter ſe comparantur, convenire inter ſe, quoad præcipuas ſaltim circumſtantias, certum ſit: quo tamen minus certum ex eventu priorum judicium ferre liceat, hoc obſtat; quod nullum fere vulneris, vel graviſſimi, genus eſt, ſeu partem læſam, ſeu vulneris ipſius conditionem, conſideres, ex quo non aliquos convaluiſſe, obſervationes doceant. Et pauca e contrario tam levi momenti vulnera dantur, a vel cum quibus nemo vulneratorum obierit. Quod ſi vero exinde, quod utplurimum ſit, argumentationem deducere velis; erit hoc aliquid dixiſſe, ſed quam parum, ſtatim oſtendam: diſtinctius tamen oſtendi poteſt, ubi recenſio omnis generis vulnerum ſeorſim inſtituitur.

§. LVI.

§. LVI. Nonne ergo cum fiducia asserere licet, vulnus lethale esse, ex quali omnes, vel plerique mortem obierunt? Rem sic reputo: Si liquido constet, vulnera illa plurima, cum quibus præsens comparatur, ejusdem conditionis, facta sectione, deprehensa fuisse; neque læsos valde diversam corporis constitutionem, vel brevibus, sanum hoc, quoad reliqua, nec diversam multum ætatem habuisse: probabile omnino esse, vulnus lethalibus recte annumerari. Non enim verisimile fit, medentium imperitiam, aut negligentiam, reliquasque circumstantias omnes (§. LIV. n. 1.) ad mortem omnium, vulneri non lethali affectorum, conspirasse: Sed uti dixi, probabile judicium, non certum esset. Quam vero probabilitatem multum minuunt dicta. (§. LIV.)

§. LVII. Vulnus non lethale judicatur esse, si omnes, vel plurimi, tali olim vulnere affecti convaluerunt; argumentatione longe minus probabili, quam prius esse dixi (§. LVI.) Quo autem minus ei fidere liceat, obstant a) dicta (§. LIV. n. 2.) b) quod in aliis singularis quædam partium conformatio; in aliis natura, insoliti quid præstans, aut omnibus suis viribus usa; in aliis casus aliquis fortuitus mortem, etsi vulnus pessimum fuerit, forte averruncavit.

§. LVIII. Hinc nec renunciationes vulnerum similium casibus obviis tuto applicantur; imo eo minus, quo minus sæpe constat, recte eas esse factas. Præjudiciis uti, non judicare hoc est. Qui autem suo uti judicio hac in re nequeunt, raro de aliorum judiciis, recte, an perperam ea facta sint, statuere sciunt.

§. LIX. Quod ſi vero etiam novi & inſoliti caſus proponuntur; quales in hoc negotio non minus, ac in praxi medica interdum, imo (per dicta §. LIV.) frequentiſſime incidunt: certe tum nec ab obſervationibus prægreſſis, nec a præjudiciis omne, vel præcipuum auxilium exſpectare licet.

§. LX. Quare, uti in omni reliqua medicina, imo in omnibus aliis diſciplinis ac artibus, paulo magis ingenue hodie cultis, principia ab initio conquiri ſolent, unde omnia reliqua dicenda & agenda ſecure deducantur: ita in hac quoque re graviſſimi momenti principiis opus eſt, quæ decidendi rationes ſuppeditent, certis, evidentibus & adæquatis.

§. LXI. Talia vero principia ſuppeditant 1) & præcipue *Anatomia*, 2) *Phyſica & mechanicæ diſciplinæ*, 3) *Phyſiologia*, his ipſis diſciplinis ſuperſtructa, & reliquæ partes medicinæ, ex his fontibus & curatis obſervationibus medicis derivatæ, ſcilicet 4) *Hygieine*, 5) *Pathologia*, 6) *Methodus medendi* ſpecialiſſima tam internis, quam externis morbis, h. e. *praxis clinica & chirurgica*, ſed utraque vere rationalis. Quicquid in his diſciplinis ſinceri & certi docetur, principiorum locum in judiciis de vulnerum lethalitate obtinet jure.

§. LXII. De uſu & applicatione horum principiorum prolixius hic agere, non opus eſt. Explicari nimirum in hiſce renunciationibus debet ex datis: vulneris conditione, inſpectione cognita; corporis diſpoſitione naturali, præternaturali, contranaturali, quatenus quidem ea vel inſpectione, vel functionibus & ſymtomatibus cognita fuit; aëris conſtitutione; ægri

gri regimine; medentis ſolertia; reliquis, (§. XLVI. XLIX.) quid harum rerum quævis ad mortem ſubſecutam contulerit. Quid autem ſingulæ ad deſtruendum corpus valeant, hoc memoratas modo (§. LXI.) diſciplinas docere, notum eſt. In ipſa tamen ſpecialiori vulnerum recenſione, & inprimis ſingularium caſuum reſolutione, & uſum & applicationem depromptarum inde veritatum evidentius oſtendere licet.

§. LXIII. Non autem modo tutius & latius hiſce principiis, quam obſervationibus uti (§. LVI. LVII. LIX.), h. e. certiores inde concluſiones, & in pluribus ac novis caſibus deducere licet: ſed etiam promtius ac facilius plurimorum vulnerum lethalitas ope eorum cognoſcitur.

§. LXIV. Vt tamen id præſtare quis poſſit, requiritur, ut 1) curate omnes illas diſciplinas pertractaverit, 2) concluſiones e pluribus præſertim datis, formandi artem calleat, h. e. ratione probe culta inſtructus ſit. 3) hanc ipſam, rimandis & reſolvendis multis caſibus, ad hoc forum pertinentibus, melius informaverit.

CAP. III.

VNDE VVLNERVM LETHALITAS ÆSTIMANDA SIT.

§. LXV. In vulnerum tam lethalitate, quam periculo, æſtimandis, reſpiciendum eſt, ad functiones vitæ conſervandæ neceſſarias; quibus quo majus illa præjudicium afferunt, eo periculoſiora; easque ſi prorſus tollunt, lethalia dicenda ſunt.

§. LXVI. Notum autem e Physiologia eſt, præcipuam functionem, qua ſcilicet vita conſervatur, eſſe circulationem humorum, maxime ſanguinis. Quæ ergo vulnera ſanguinis circulationem ita tollunt, ut ea reſtitui nequeat, illa lethalia ſunt.

§. LXVII. Quare vulnera *abſolute lethalia* pronuncianda ſunt: 1) quæ cordis motum, ceu C. S. præcipuam cauſam, prorſus tollunt; & hinc 2) quæ ſpirituum vitalium in cor influxum tollunt. Ceſſante enim hoc, cordis motus ſtatim deſinit. 3) Quæ hæmorrhagias enormes producunt. Sine ſanguine enim ſufficiente circuitum ejus in corpore fieri non poſſe, manifeſtum eſt. 4) Quæ reſpirationem inſigniter lædunt. Sub hac enim læſione ſanguis e dextra cordis camera ad ſiniſtram propelli, adeoque hinc per totum corpus moveri nequit. 5) Quæ chyli affluxum, & lymphæ refluxum in cor tollunt. Neque enim ſine utroque C. S. diu perennare poteſt. 6) Quæ humorum, in corporis receptaculis contentorum, profuſionem in cavitatem ejus aliquam magnam producunt; ita ut aliarum partium deſtructio inde ſequatur. Nam ſic quoque C. S. citius, tardius tollitur. 7) Quæ corruptionem parti inferunt, toti machinæ corporis, aut ſaltim nobilioribus partibus exitiabilem.

§. LXVIII. Vt jam ſpecialius vulnerum lethalitatem determinemus, & appareat, quomodo in ſingularibus caſibus ea determinanda ſit, attendendum eſt 1) & præcipue ad *partis cujusvis* vulneratæ a) *functionem*, an hæc magis, vel minus vitæ conſervandæ neceſſaria ſit. Multarum enim partium functiones

ad

ad perennem C. S. requiruntur, ac nonnullarum præ reliquis. Quo ergo magis directe partis alicujus functio ad C. S. facit, eo cum graviori damno vulnus illi infligitur.

§. LXIX. Habita ergo ratione momentorum (§. LXVII.) adductorum, periculosiora sunt, & lethalia maxime fieri queunt vulnera 1) cordis (§. LXVII. n. 1). 2) cerebelli, quod cordi præcipue spiritus vitales prospicit; nervorum ad cor abeuntium, paris scilicet vagi & intercostalis (n. 2. ib.); & spinalis medulæ, in principio ejus, unde ad præcipua organa vitalia nervi abscedunt. 3) arteriarum & venarum majorum: aortæ, arteriarum subclaviarum, carotidum, vertebralium, cœliacæ, mesentericarum, emulgentium, iliacarum, pulmonalis; venæ cavæ, azygos, subclaviarum, vertebralium, jugularium internarum, emulgentium, iliacarum, portæ, & ramorum hujus majorum, pulmonalis. (n. 3. ib.) 4) pulmonum, asperæ arteriæ, diaphragmatis, mediastini, thoracis. (n. 4. ib.) 5.) ductus thoracici, vasorum lacteorum, intestinorum, ventriculi. (n. 5. ib.) 6) vasorum lymphaticorum, ureterum, vesicæ biliariæ, urinariæ, viscerum notabiliorum, vasis multis præditorum hepatis, lienis, pancreatis. (n. 6. ib.)

§. LXX. Possunt vero ex his partibus (§. LXIX.) quarundam vulnera ob functionem suam alia adhuc ratione lethalia fieri, scilicet ob motum perpetuum & notabilem, qui vulnus non semper consolidari permittit. Pertinent huc cor, diaphragma, pulmones.

§. LXXI. Non tamen quæcunque allegatarum harum partium (§. LXIX.), vel aliarum, vulnera mortem semper necessario inferunt; sed ea demum, quæ

functiones vitales tollunt, h. e. quæ memoratorum (LXVII.) aliquid præstant. Quæ quidem præstari in iisdem partibus (LXIX.) præ reliquis facilius queunt; attamen non a qualicunque vulnere contingunt. Contingunt vero etiam illa interdum aliarum partium vulneratione. Quare ad alia attendendum in æstimatione vulnerum præter ea est.

§. LXXII. Scilicet b) *partis* vulneratæ *textura*, ut vocant, similaris attendenda est; quid ferre hæc queat; & quid ejus destructio, aut læsio functionibus vitalibus noceat. Sic e. g. vulnera cerebri valde periculosa sunt, & facile lethalia fiunt; quia molle id corpus est, & corruptioni facile obnoxium; ac præterea canalibus tenerrimis constat, facile lacerandis. Sic porro partium tendinearum & membranacearum vulnera multum periculi habent, quia difficulter coalescunt, promte & graviter inflammantur, convulsionesque cient, e. g. ventriculi, intestinorum & quoad partem tendineam, diaphragmatis. Variis autem modis harum partium læsiones, si non emendandæ sunt, vitæ damnum afferunt.

§. LXXIII. *Partis* porro læsæ c) *connexio cum aliis* consideranda est; ratione cujus labem cum aliis, vitæ necessariis, promptius communicat, vel gravissima quævis symtonata patrat. Sic cerebri corruptio, in posterioribus lobis, cerebello facile communicatur. De symtomatibus, quæ a læsione quarundam partium, præ reliquis, oriantur deinceps (§. LXXXI.) seorsim dicam.

§. LXXIV. *Partis* denique d) *situs* facit, ut pars vulnerata & vulneris ipsius conditio, sæ-

pe

pe difficulter, interdum prorſus non cognoſci, aut medela ei fieri queat. Sic exilium ſanguiferorum, vel lymphaticorum vaſorum, profundius ſitorum, vulnera ſæpe abſolute lethalia fiunt; quia, licet extravaſato humore educto e cavitatibus corporis, novus ſemper ex iis vaſis deſtillat. Sic quoque axillarium & cruralium vaſorum, prope truncum corporis vulneratorum, abſolute lethales læſiones ſunt.

§. LXXV. Præter partem vero vulneratam in renunciationibus attendendum eſt 2) ad *vulneris* ipſius *conditionem*, & quidem ejus magnitudinem, qualitatem, & interdum quoque ad figuram.

§. LXXVI. *Vulneris* a) *magnitudo* comprehendit, longitudinem, latitudinem & profunditatem, imo multitudinem etiam vulneratarum partium. Sunt vero omnium memoratarum (§. LXIX.) partium vulnera majora, quarundam etiam ex iis non omnino exiliſſima, abſolute lethalia. Partium vero multitudo ſimul vulneratarum, vulnus ſæpe abſolute lethale reddit: etſi ſingulæ illæ, ſolæ vulneratæ, parum periculi afferant, e. g. ſi plura vaſa lactea rupta, vel diſciſſa fuerunt.

§. LXXVII. Quod vulneris b) *qualitatem* attinet, 1) vulnera inſtrumento venenato illata, præſertim paulo profundius, plurima abſolute lethalia ſunt; quia venenum ſuccos vitales ſtatim inficit, & hinc graviſſima ſymptomata ciet. Vehementia autem venenorum diverſa rarius cognoſcitur, niſi a poſteriori h. e. ex effectu, quem illa in corpore produxerunt. 2) Contuſiones & hinc vulnera percutiendo, vel globulis ſclopetorum inflicta, quibus partes valde lacerantur & facile inflammantur, interdum abſolute letha-

lia sunt; sæpe saltim valde periculosa, 3) Idem de lacerationibus, quomodocunque factis partium præsertim nervosarum, tendinosarum, & membranacearum dicendum est. Facile enim iis spasmi, convulsiones, inflammationes superveniunt; medela autem sæpe impossibilis est.

§. LXXVIII. *Vulneris* tandem c) *figura* quoque interdum illud lethale reddit, si nempe illa fuerit orbicularis, vel quæcunque talis, quæ coalitum partis alicujus nobilioris impedit.

§. LXXIX. Supersunt 1) vulnerum sequelæ, sive *symptomata* in illorum æstimatione attendenda. Et de his quidem maxima disputatio est, quale momentum habeant, ut vulnus lethale pronunciari queat. Quam iis nonnulli ICtorum vim in hoc negotio tribuant, superius (§. XL.) dixi. Aberrant tamen illi longe minus, quam faceti quidam defensores, vulnus non lethale asserentes, si plura & gravia adfuerint symptomata; ex his ergo accidentibus mortem insecutam, non ex vulnere. Cum tamen illa plerumque necessarii, aut inevitabiles vulnerum effectus sint, & proinde sæpe nil lethalitati referat, utrum ex vulnere ipso, an ex symtomatibus percussus interierit: dispiciendum nunc est, quando pro veris effectibus vulneris, & causa mortis haberi debeant, & quando vulneris lethalitatem augeant.

§. LXXX. Postulo autem, si symtomata veri effectus sunt vulneris; si ea præcaveri nequeunt; aut postquam sine vulnerati & medentis culpa ex vulnere semel orta fuerunt, sedari; & si tandem mortis causa, vel sola, vel cum vulnere existunt: vulnus lethale esse pronunciandum.

§. LXXXI.

§. LXXXI. Ob hanc vero ſymtomatum non avertendorum gravitatem maxime periculoſa ſunt, & fieri lethalia queunt vulnera 1) cerebri, præcipue ſi illa illata fuerunt regioni ejus cuidam, unde nervi ad vitalibus, interdum etiam naturalibus functionibus, deſtinatas partes abſcedunt. 2) nervorum ad deſignatas præcipue partes abeuntium, vel aliorum quorumcunque, laceratorum, punctorum, diſcerptorum; maxime vero plexuum nervoſorum & profundius, quam ut medela iis fieri mox queat, ſitorum. Oriuntur enim, iis læſis, graviſſima ſymtomata in cerebro, corde, vel alibi, e. g. convulſiones perículoſiſſimæ. 3) tendinearum & membranacearum partium læſiones graviores, præcipue lacerationes, ob inflammationes, & convulſiones facile ſupervenientes.

§. LXXXII. Eſſe autem ſymtomata veros vulneris effectus, dijudicatur, a) ſi eadem ſint functiones turbatæ partis ipſius vulneratæ, & ſic quidem turbatæ, uti ex læſione ipſa oriri poſſunt e. g. ſi quis baculo in capite percuſſus, ſine ſenſu & motu conciderit; b) ſi illa in diverſa parte obſervata, itidem a læſione tali oriri poſſe, ſeu obſervationibus, ſeu ex corporis mechanismo conſtat, e. g. ſi abſceſſus in abdomine, vel thorace, a vulnere capiti illato obſervantur, vel poſt renum percuſſionem mictus cruentus fit. c) Si ea præſertim mox vulnus excipiunt, ſine alia manifeſta cauſa, aut poſt mortem in corpore deprehendenda.

§. LXXXIII. Præcaveri ſymtomata nequeunt, ſi 1) ſtatim poſt acceptum vulnus; vel 2) antequam auxilium ferri percuſſo potuit, oriuntur. An ſerius ſupervenientia præcaveri potuerint, dijudicandum in

 quo-

quovis casu ex a) partis læsæ conditione, & situ; b) vulneris conditione; & hinc c) possibilitate, remedia tempestive applicandi.

§. LXXXIV. Ex iisdem hisce propositis (§. LXXXIII.) dijudicandum est, an symtomata graviora, quæ mortem festinaverunt, sedari, vel corrigi potuerint.

§. LXXXV. Mortis vero causas eadem, vel sola, vel una cum vulnere extitisse, probabile fit; si ad mortem usque perdurarunt; aut aliis locum fecerunt, quæ cum ipsis connexa sunt. Certius id cognoscitur ex gravitate illorum, ex & vi, quam habuisse, ad functiones vitales destruendas, ex corporis mechanismo constat.

§. LXXXVI. Sed an vulnus lethale est pronunciandum, si constet quidem, symtomata esse veros vulneris effectus, verasque mortis causas; tardius tamen e. g. post hebdomadas aliquot accesserunt; & vel hanc ob causam præcaveri minus potuerunt; sique post longum demum intervallum percussum occidunt? vel, si sic determinata symtomata ab initio quidem, vel brevi post illatum vulnus cœperunt; interim inducias manifestas faciunt; & post notabilem reconvalescentiam læsus recidivam patitur, & moritur. Puto utique, in utroque casu vulnus lethale dici debere. An vero vulnerans nihilo secius de morte teneatur? ea quæstio ad Medicos nil pertinet. Existimo tamen etiam, locum Exod. XXI, 19. vulneranti in iis casibus minime patrocinari.

§. LXXXVII. Hæc itaque hactenus dicta (a §. LXVIII.) vulnera absolute lethalia reddere queunt;

ad

ad quæ proinde, in vulnerum lethalitate determinanda, præcipue attendendum eſt. Quodammodo autem *reſpective lethalia* vulnera, ſeu quæ alias, vel in aliis, imo in plurimis, quamvis in ſe prorſus ſimilia, mortem non inferunt, facere poſſunt ſequentia.

§. LXXXVIII. I) *Corporis conſtitutio naturalis* vulnus in quibusdam lethale facit. Refero ad illam *ætatem* & *ſexum*, & hujus etiam diverſos ſtatus, *graviditatem* in primis. Ita in infantibus & pueris leviores capitis plagæ fracturas cranii facilius producere queunt; ex quibus ſi mors oritur, lethalia vulnera ſunt. In iisdem plurima alia vulnera, in aliis minime lethalia, ob partium teneritudinem & læſarum inprimis habitudinem, omnino lethalia fieri poſſunt. Sic quoque in ſenibus vulnera facile lethalia fiunt, ob corporis & virium imbecillitatem, impuritatemque ſuccorum, & hinc facile præſertim ſupervenientem gangrænam & ſphacelum. Sic in fœminis cranium plerumque minus roboris habet, adeoque percuſſione facilius diffringitur, lethoque occaſionem præbet. Graviditatis vero tempore, & brevi poſt partum illæ facilius lethaliter lædi queunt, quam reliquis temporibus.

§. LXXXIX. II) *Conſtitutio corporis ſingularis* itidem lethale vulnus, absque illa non lethale futurum, reddere valet. Sic interdum ob easdem fere cauſas, quarum exempla de infantibus & pueris propoſita ſunt (§. LXXXVIII.), vulnera in adultis lethalia fiunt. Idem contingit, ſi lien profundius in abdomine poſitus, & ibi percuſſus mortem producit.

§. XC. Sine dubio autem vulnera, hujusmodi

ſub-

ſubjectis (§. LXXXVIII. LXXXIX.) inflicta, lethalia pronuncianda ſunt; ſi ex illis, propter hanc conſtitutionem, & ipſorum vulnerum conditionem, mortem absque alia, avertenda cauſa, productam fuiſſe conſtet. De individuali enim vulnere renunciatio fieri debet, (§. XXII.) & ſic ad lethalitatem ſufficit, in eo ſubjecto de quo quæritur, mortis cauſam neceſſariam vulnus exſtitiſſe. Imo quoties caſus ſingulares examini ſubciuntur, hæ circumſtantiæ (§. LXXXIIX. LXXXIX.) prorſus æquivalent ſupra memoratis, (§. LXVII. ſqq.) e quibus vulnerum abſolutam lethalitatem determinandam eſſe dixi. Quare etiam tum ejusmodi vulnus, ne reſpective quidem, ſed abſolute lethale vocandum puto.

§. XCI. Quid ad lethalitatem vulneris declarandeclarandam III. *conſtitutio corporis contranaturalis* ſive morbi, jam antea in hoc hærentes, valere debeant; de eo major diſputatio eſt. Diſpiciendum autem in quolibet caſu puto, quam vim vulnus habuerit ad mortem, vel ſolum, vel cum prægreſſo morbo inferendam. Par enim pondus, ad lethalitem declarandam, habere debet.

§. XCII. Quare ſi 1) poſt vulnus acceptum quis moritur, quod inferendæ morti percuſſo ſolum idoneum fuiſſet: reum juvare minime poteſt, quacunque vulneratus antea morboſa conſtitutione affectus, imo ſi probabiliter mortis candidatus fuit. Illa enim vulnus, quod alioquin pro abſolute lethali declarandum erat, minus lethale non reddit. Quin potius, ut lethalitatem morbus, ſic culpam percuſſoris auget, quod hominem, jam antea miſerabilem, inhumano more tractare non ſit veritus. Vt taceam de termino

no mortis futuræ, in morbis etiam deſperatis, non ſemper conſtare.

§. XCIII. Quid autem ſtatuendum eſt, ſi 2) vulnus qualecunque, alias minime lethale, imo levioris momenti, morbum non peſſimum, & vel curabilem, vel ex quo ſaltim brevi mors metuenda non fuerat, ad inferendam mortem determinet? ſi v. g. poſt fracturam cranii, minime exitioſam, nova percuſſio lethalem eventum habeat; vel ſi artuum leviori vulneri, in cachectico corpore, ſuperveniens gangrena ægrum rapiat. Dicerem utrumque vulnus lethale, ſed reſpective. Sine illis enim nec antea percuſſus, nec cachecticus occubuiſſet; etſi hæ præqreſſæ conſtitutiones ad inferendam mortem plurimum contulerint.

§. XCIV. Idem pronunciarem, ſi 3) vulnus tale (§. XCIII.) morbum ambigui eventus, quoad curationem, vel tempus mortis, prægreſſum determinaſſe ad mortem inferendam conſtaret. Si v. g. vomicæ parvæ hepatis, a percuſſione ruptæ, percuſſum interemerint; vel ſi capitis graviori cuidam morbo obnoxius a percuſſione perierit. Rationes hic valent (§. XCII.) allatæ, præſertim ultima.

§. XCV. Sed ſi 4) vulnus tale (§. XCIII.) acceleret mortem ita, ut dubium maneat, utrum illud re vera morbum antecedentem ad mortem inferendam determinaverit; an vero hæc ex ipſo morbo ſolo ſecutura fuiſſet: quid tum ſtatuendum eſt? ſi v. g. vomica pectoris major, percuſſione rupta, mox ægrum jugulet. Hic omnino dicendum puto: non liquet.

§. XCVI. Conſtare autem, in omni tali caſu, ubi antecedentes morbi ſimul in conſiderationem veniunt,

debet, quod de vulneribus omnibus monui, (§.LXXX.) mortem ex vulnere hoc, determinato ſimul per antecedentem morbum, vere ſubſecutam, (§.XCIII.) aut ſaltim probabiliter acceleratam (§.XCIV.) eſſe; neque illam, ſub hac circumſtantia, averti potuiſſe.

§. XCVII. An vero percuſſor proinde in hisce caſibus (§.XCIII-XCV.) homicidii ordinaria pœna afficiendus ſit, alia quæſtio eſt, neque ad Medicorum forum pertinens; qui id tantummodo interrogantur, an vulnus in hoc, vel illo individuo re vera mortis neceſſaria cauſa exſtiterit. Incumbit tamen iis, perſpicue oſtendere, quod momentum vulnus in ſe, & quod morboſa corporis conſtitutione idem deterius factum, ad mortem contulerit: ut ex his aliisque circumſtantiis, ad JCtorum dijudicationem pertinentibus, Judex ad ſententiam ferendam determinetur.

§. XCVIII. IV. *Conſtitutio aëris*, haut evitanda in regionibus, urbibus, vel temporibus certis, vulnera alibi, vel alias ſanabilia, valde periculoſa reddit; unde ſi percuſſi, ſine alia manifeſta cauſa moriuntur, vulnera talia omnino lethalia pronuncianda ſunt. Exempla præbent capitis vulnera, in Hiſpania, Italia, & alibi maxime periculoſa.

§. XCIX. V. *Difficultas cognoſcendi vulneris rationem* hoc quoque lethale reddere valet. Nam ubi de illa minus recte conſtat, curatio utplurimum fruſtra inſtituitur.

§. C. Difficilem vero eam cognitionem, & ſæpe impoſſibilem in tempore reddunt a) ſtatus vulnerati præſens, ſi e. g. quis ſine ſenſu & motu percuſſus reperitur in loco, ab hominibus deſerto. b) poſitus, in quo

is

is erat conſtitutus, dum vulneraretur. c) inſtrumenti lædentis conditio, ſic e. g. globuli ſclopetorum varias plerumque ambages in corpore ſolent pererrare, d) ipſius vulneris conditio, e.g. contrafiſſura. e) Defectus malorum ſymtomatum, aliquot diebus poſt acceptam plagam. Si quis e. g. poſt percuſſionem capitis, aut fuſtigationem reliquarum corporis partium, vehementem, nullum, præter dolorem, grave incommodum ſentiens, obambulat.

§.CI. Ex vulnere vero minime lethali *vulnus per accidens* lethale facere queunt, 1) vitia alia corporis ſ. prægreſſa, ſ. ſubſequentia vulnus. 2) percuſſi regimen pravum. 3) medentium culpa.

§.CII. Quod 1) vitia corporis prægreſſa attinet, vulnus per accidens tantum lethale factum fuiſſe, pronunciandum eſt; ſi conſtet, ſola illa, ſine vulneris concurſu, læſum jugulaſſe, nec vulnus, ut lethale fieret, determinaſſe; ob contrarias (§. XCI-XCVI.) allatis rationes.

§.CIII. Quando autem 2) vitia, vulnus ſubſequentia, mortis cauſæ per accidens pronunciari debeant, ex (§.LXXXII-LXXXV) colligi poteſt. Nimirum ſi requiſita, ibi memorata, non adſint, vulnus per accidens lethale dicendum eſt.

§.CIV. Sed quid de duplici hoc caſu ſtatuendum erit: α) ſi ſymtomata, vulnus ſubſequentia, non quidem ſint ipſius vulneris effectus, propter tamen illud orta, nec evitanda fuerunt, & tandem etiam non corrigenda, mortis cauſa, vel ſola, vel cum vulnere exſtiterunt? e. g. ſi quis propter capitis percuſſionem, minime lethalem, vertigine gravi correptus, in terram ita concidat, ut a nova hac percuſſione, mors vel ſtatim, vel deinceps ſequatur. β) Si ne propter vulnus quidem ſymtomata, ſed ab alia manifeſta, nec avertenda cauſa, acciderunt, & vulneratum deinceps interimant; certum tamen ſit, absque eo vulnere, etſi non lethali, illa ſola ægrum jugulandi vim nullam habuiſſe? e. g. ſi terror, non admodum gravis, ſymtomata mortifera producat in decumbente ex vulnere

capi-

capitis, non admodum periculoſo. Dicerem in priori caſu vel vulnus, vel vulnerantem certe, quod prolapſuro pulvinar non ſubjecerit, mortis veram cauſam eſſe. In poſteriori, cum ſine illo vulnere percuſſus in vita conſervari potuiſſet, (per hypoth.) quoque non multa video, quæ reum abſolvere queant; aut qûi magnopere ille differat a propoſito. (§. XCIII.)

§. CV. Quod 3) percuſſi regimen, & culpam medentis attinet, perpendum in quovis caſu eſt, an ex deſignatis vitiis alterutrius, vel utriusque, ſymtomata illa mortifera, quæ ægrum jugulaſſe memorantur, re vera ſecuta fuerint; an vero ex vulnere ipſo. In priori enim caſu vulnus per accidens, in poſterori abſolute lethale dici debet.

§. CVI. In caſu vero ambiguo, ubi ſcilicet ex datis quidem colligi poteſt, vulnus grave & periculoſum fuiſſe; ſed quomodo mortem illud neceſſario producere potuerit, minus evidenter apparet: pro lethali id pronunciandum videtur, ſi æger nil deliquit, & medentis culpa nulla argui poteſt: ſi vero uterque, vel alteruter eorum notabile aliquod peccatum admiſit; vulnus per accidens lethale dicendum eſt. Semper tamen probe attendatur, utrum ex horum erroribus, an ex ipſo potius vulnere ſymtomata ſecuta; & an hæc mortis vera cauſa exſtiterint.

§. CVII. Quare ſi ex datis ſatis manifeſtum ſit, vulnus veram mortis cauſam, neque hanc avertendam fuiſſe: illud minime per accidens lethale pronunciari debet, etiamſi alia, mortem manifeſte accelerantia, acceſſerint, e. g. malum ægri regimen, Chirurgus ignarus artis, vel negligens.

§. CVIII. Sed nonne lethalia quoque vulnera dicenda ſunt, quæ quidem in ſe curabilia, ob ignorantiam tamen multorum chirurgorum mortifera fieri ſolent? Durum omnino eſſet, ita pronunciare, præſ. ſi ignorantia paulo craſſior ſit.

§. CIX. Quodſi vero mors inde non, niſi exquiſita arte, & inſtrumentis rarioribus, neque parabilibus in eo loco, ubi vulnus tractatur, averti potuiſſet; lethale illud pronunciare, minime dubitarem.

S. D. G.